RITUS SERVANDUS

IN CLAUSURA

PORTÆ SANCTÆ

PAPALIS PATRIARCHII

S. PAULI APOSTOLI

ANNO JUBILEI MDCCXXV.

Ab Eminentiſs., & Reverendiſs. D.

FABRITIO

Epiſcopo Oſtienſi S. R. E.

CARDINALI PAULUTIO

Sacri Collegii Decano, Sanctiſſimi Domini Noſtri

PAPÆ BENEDICTI XIII.

Vicario Generali, & Secretario Status,

de Latere Legato.



Ex Lib. Bibliothecæ SS. Fabiani et Sebastiani ad Catacumbas

1727

ROMÆ MDCCXXV.

RITUS

ABſolutis Veſperis Pontificalibus, ſedet Eminentiſſimus Legatus donec diſtribuantur, & accendantur Cerei; tunc imponit thus in Thuribulum dicens: **Ab illo benedicaris &c.**, & præcedente Cruce lata per Monachum Subdiaconali habitu indutum, ac præeuntibus, cum choro Muſicorum, Cantoribus Monachis, & Thuriferario, ac toto ſubſequente Clero, ut in Veſperis parato, procedit inter Diaconos Collaterales Eminentiſſimus Legatus cum Cereo, ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti expoſiti, hinc, ad aliud Sanctiſſimi Crucifixi, demum ad Aram SS. Apoſtolorum, ubi, precibus effuſis, ſtans ſine Mitrâ intonat ſequentem Antiphonam:

Cum jucunditate exhibitis &c.

Dum autem Cantores proſequuntur: **Et cum gaudio deducemini, nam montes, & colles eſilient expectantes vos cum gaudio, alleluja**, Proceſſio incedit per Portam Sanctam, & ultimus omnium exibit Eminentiſſimus Legatus, qui ſtatim paratum ſibi Solium conſcendit, & ſedet.

Finita Antiphona, quæ erit repetenda usque ad tempus opportunum, tunc Eminentissimus Legatus surgit cum Mitra, & descendit Cereum manu gestans, ad Portam Sanctam, propè quam sistens, dimissa Mitra, & Cereo retento, benedicit lapides, & calcem dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes
℟. Hic factus est in caput anguli.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

SUmme Deus, qui summa, media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis; san ✠ ctifica, & bene ✠ dic has creaturas lapidis, calcis, & sabuli. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Oratione expleta, accipit Mitram, ponit thus in thuribulum, verba proferens: Ab illo benedicaris &c. aspergit, & thurificat.

cat. Mox retenta Mitra, ad limen Portæ Sanctæ genuflexus capit de manu Abbatis Presbyt. Assistentis cochlear, cum quo ter sumit ex scipho calcem, eamque primò, in medio liminis, secundò à dextris, tertiò à sinistris deponit, & extendit, æquatque; Dimisso cochleari superimponit calci primum lapidem in medio, secundum à dextris, & tertium à sinistris, alium alteri hærentem, legendo nempè:

Ad primam calcis dejectionem in limen

In fide, & virtute Domini nostri Jesu Christi filii Dei vivi.

Ad secundam

Qui Apostolorum Principi dixit: tu es Petrus.

Ad tertiam

Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

Ad primi verò lapidis impositionem

Collocamus lapidem istum primarium.

Ad secundum lapidem

Ad claudendam hanc Portam Sanctam.

Ad tertium lapidem

Singulo Jubilæi anno reserandam.

Tunc ter manu signum Crucis super lapides impositos producens, dicit:

In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Cantoribus interim cantantibus Hymnum

COeleſtis Urbs Jeruſalem;
Beata pacis viſio,
Quæ celſa de viventibus
Saxis ad aſtra tolleris,
Sponſæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.
O ſorte nupta proſpera,
Dotata Patris gloria,
Reſperſa Sponſi gratia,
Regina formoſiſſima,
Chriſto jugata Principi,
Cœli coruſca Civitas,
Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis oſtia:
Virtute namque prævia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Chriſti percitus
Tormenta quiſquis ſuſtinet.
Scalpri ſalubris ictibus,
Et tunſione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc ſaxa molem conſtruunt,

Aptiſ-

Aptiſque juncta nexibus
Locantur in faſtigio.
Decus Parenti debitum
Sit uſquequaque Altiſſimo,
Natoque Patris unico,
Et inclito Paraclito;
Cui laus, poteſtas, gloria
Æterna ſit per ſæcula. Amen.

Iterim Eminentiſsimus Legatus ſedem eminentem repetit, lavat manus, & ibi expectat donec per Pœnitentiarios adjuvantibus Cœmentariis, murus ejuſdem Portæ ad ſtaturam hominis circiter, erectus fuerit.

Tum ſurgit ſine Mitra, & accedentibus duobus Acolythis cum candelabris, cantat ſequentes Verſus, & Orationem

℣. Salvum fac populum tuum Domine
℟. Et benedic hæreditati tuæ.
℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus exauditor exiſtis, exaudi nos quæſumus, & præſta: ut inviolabilis permaneat hujus loci ſanctificatio, & beneficia tui muneris, in hoc Jubilæi anno, univerſitas fidelium impetraſſe lætetur. Per Christum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

Mox ſedet, donec extinguantur Cerei deinde depoſita Mitra ſurgens, intonat Hymnum

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi Cœli, & univerſæ poteſtates.

Tibi Cherubim, & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt Cœli, & Terra: majeſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensæ majestatis:
Venerandum tuum verum, & unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriæ Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna Cœlorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo, quæsumus, tuis famulis subveni: quos pretioso Sanguine redemisti.

Æter-

Æterna fac cum Sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine: & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos uſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperavimus in te.

In te Domine ſperavi: non confundar in æternum.

Quo per Cantores expleto, ſolemniter populo benedicit dicens:

℣. **Sit nomen Domini benedictum &c.**

Tunc ſedet cum Mitra, & per Abbatem Presbyterum Aſſiſtentem publicatur Indulgentia in forma Jubilei.

Tan-

Tandem omnes ordine quo venerant per Portam principalem, ad Sacrarium contendunt, & ibi Paramenta dimittunt.

PUBLICATIO INDULGENTIÆ

EMinentiſſimus, & Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Fabritius miſeratione Divina Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternenſis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pauluccius, auctoritate ſibi à Sanctiſſimo Domino Noſtro PAPA conceſsâ; dat, & concedit omnibus hìc præſentibus, Indulgentiam Plenariam in forma Jubilæi, Rogate igitur Deum pro fœlici ſtatu eiuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, Eminentiæ Suæ Reverendiſſimæ, & Sanctæ Matris Eccleſiæ.